...annes
...B.
...tiae Ioannis Danilowicz
ac Sophiae Zolkiewska Epi-
thalamion.

IN NVPTIAS ILLVSTRIVM IOANNIS DANIŁOWICZ INCISORIS DAPVM S. R. M. BELZENSIS CORSVNENSIS &c. CAPITANEI.

AC SOPHIÆ ZOLKIEWSKA STANISLAI ZOLKIEWII CASTELLANI LEOPOLIENSIS EXERCITVVMQVE PRÆFECTI &c. FILIAE.

EPITHALAMION

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Siebeneycher,
Anno Domini MDCV.

In ſtemma

ILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI D. IOANNIS DANILOWICZ.



Quam benè cinxerunt ſtellæ, Phœbeque, ſagittam,
Vt belli niteant aurea ſigna tui.
Quis tulit hoc? virtus; cur ſydera bina? coruſcum
Hoc vt te in terras, illud in aſtra ferat.

EPITHALAMION.

AVrea conſurgunt Heroum facta virorum,
Aurea fas aurêis mihi iungere ſecula factis.
Aurea facta dicant tibi Magni Hymenææ
Dynaſtæ,
Aurea feſta dica magnis Hymenææ Dynaſtis.
Bellatum ſatis eſt; clauſo ſtent limine Iani
Mars ferus, armipotens Pallas, Mauortia coniūx.
Lætus Hymen odit Martem, Martisq; ſorores:
I furor, & rabies, Iani pete ferrea clauſtra,
Tuque ſolo fixis haſtis Bellona iugales
Solue cruentato loro, procul æthere cedat,
Puluis equûm, ferrique nitor, tonitruq; tubarum,
Hoſte vacet campus, gladio viduatus, oliuam
Miles alat dextris, hodie pax aurea ponto,
Aurea pax terris, pax imperet aurea cœlo.
Aurea conſurgunt Heroum facta virorum,
Aurea fas aurêis mihi iungere ſecula factis.
Sat nebulis ventisq; datū eſt; arx gemmea Phæbo
Danda, ſolum vt lætus læto ſpeculetur Olympo.
Cedite iam nebulæ Phoebo, iam cedite venti;
Lætus Hymen, lætis gaudet gaudere diebus.
I propera properante gradu, mandata capeſſe
Non mea ſed Phoebi, ventorum mnxime rector
Aeole, tolle manu ſceptrū quod ab æthere tollat,
Vimque Noti, Boreæq; iras, Eurique boatus,

Tollat, & euinctos tenebras demandet ad imas,
Ite procul venti, inuisum genus, ite procellæ,
Stet mare pacatum, tetra spoliatus Olympi
Stet nebula vertex, hodie lux aurea ponto,
Aurea lux terris, lux aurea luceat astris.
Sumite vota Dij, tangat mea Musa, quod optat.
Aurea facta nitent, sint aurea secla; sed ecce
Quis Deus ê tanto nobis tam grata tumultu
Otia donauit? nebulas post mille quis auxit
Mille Deus soles? res cedunt ordine cunctæ.
Aurea pax hodie regnat, lux aurea lucet.
Ergo, quando datur tantum didicisse fauorem
Muneribus tantis, superûm generosa propago,
Vlterius didicisse detur, sat credite magnus
Arce fauor Dia manat, dare secula terris
Aurea, maiorem sed adhnc, mea Musa precatur.
Sit fauor hic maior; Atauis Heroibus Heros
Editus, illustris socialia fœdere certo
Iura subit thalami, celsum stellantis Olympi
Dijq; Deæq; omnes quos orbita sideris ambit,
(Magna ꝑcor, sed digna ꝑcor) postpōite culmen.
Aula datur terris, quæ stemmate nobilis, omnem
Progeniem Diûum, tædâ sacrata iugali,
Vocibus inuitat placidis, ne spernite, quæso,
Vota, sed eximios thalami decorate triumphos
Numinibus vestris; tu primos primus honores

Sume

Sume Deûm Rector, post turba secunda secũdos
Auferat, ordinibus superûm sic mistus in orbe
Ordo terrigenum festos duplicabit honores,
Aurea tum verè fulgebunt secula terris.
Nam qualis quantusq; decor, (quis talia verbis
Decantare queat, similesq; referre figuras)
Omnibus accedat campis, quum sydere puro
Despicitis terræ constructa theathra iacentis,
Non tantâ formâ se gemmeus induit orbis
Aetheris igniuomi, gelidis cum roscida bigis
Vecta polo cessit Phœbe, proprioq; meandi
Alta per astra locum fratri dedit; ille coruscos
Oceano lotus, verso temone quadrigas
Suscitat, & cœlo, partes ingressus eoas
Exerit os nitidum, rutiloq; per aëra ductu
Explicat in terram radios; micat aurea tellus:
Quantâ vos Diui campos depingitis omnes
Sydereamq; plagam, vester dum vultus ab arce
Empyrea speculatur humum, speculatur & vndas,
Vultus nectareo multum ditatus odore,
Vulus Regalis, Diuus, generosus, & idem
Aureus, ambrosius, pulcher, quem semine cretus
Mortali quisquam placido si lumine lustret,
Haud vnquam satiare potest sua corda tuendo.
Quid si iam terras cœli regione relicta
Visere vos cernam, nostris & numen adesse

 Connu-

Connubijs vestrum, magnæ decor additus aulæ
Qualis erit? quantũq; Hymenęo accedet Honori?
Hic honor, hicq; fauor nobis optantibus adsit:
Hoc agite, hoc Heros optat, contemnere nefas,
Vester hic est Diui, Diûum sociandus in astris
Ordinibus quondam, qui iam connubia terris
Exercet, similis superis, populisq; supremus.
Quęritis vnde genus? genus illi â sanguine magno
Heroum, Heroas, conuexa quousq; rotabit
Sydera vterq; polus, geniturum, Marte potentes,
Stemmatibus claros, famâ super æthera notos,
Hi, loquar an taceam? loquitur cortinna Sybillæ,
Graiorum tradent quondam præclara trophæa
Obscuræ famæ, Decijs, & mille Metellis
Magnanima eripient celebres virtute triumphos.
Deniq; pugnabunt tecum volitare per oras
Lechîadûm, paribus factis, ferriq; per astra
Sublimi famæ pennâ, te Troià pubes
Prouoco, quæ Phrygium toto Simoenta bibisti
Corpore, vel Danai ferri iugulata furore
Oscula Dardaniis agris inuita dedisti.
Tantam virtutem generi fore, Delphica laurus
Occinit, haudq; genus fallet, quæ fallere nescit.
Ergo pigebit adhuc, tanti generosa Dynastæ
Stemmata cunctando ambrosii illustrare decore
Purpureo vultus terras?. & adesse diebus

Numine præſenti, quos miro inſtaurat honore
Feſtus Hymen, celebratq; Heros, genteſq; ſalutant,
Dignus honore Heros, dignus quem fingat Apollo
Diîs dignum, qui magnanimis inſignia factis
Soluit, vt illuſtris famâ queat ire per vrbes
Illuſtres, regnetq; potens virtutis in arce;
Et iam, quò tendat, vel quid ſuperare laboret
(Ecquis non ſtupeat) memorabile nomen Achillis
Ad ſtyga demandat, tenebriſq; inuoluit, & ipſum
(Quid magis) & genere & bello detrudere tentat.
Nec procul his meta eſt: propius victoria noſtri
Aſsidet Herois lateri victrixque triumphat;
Quàm tua teq; tuumq; genus fortiſsime Graiûm
Tutatur virtus tantis viduata triumphis.
Arma te titulis, numeres Heroica facta,
Pone genus contra, quo iacta retundere poſsis
Tella, cades ſubitò noſtri victoris in enſes.
Te ſinus æquoreæ Thetidos magnum intulit ~~orbi~~; illum
~~Illum~~, dux virtus, fortuna comes, ſapientia præſes,
Præfecêre Deum terris: tibi Pallados Aegis
Audacem in bellis animum dedit; arma ſed illi
Sola miniſtrabat virtus, hodieq; miniſtrat.
Te tuba Magnanimũ commendat Homerica bello;
Illum teſtatur famâ præcone ſuperſtes
Virtus, horrifico nunquam ceſsiſſe Tyranno,
Haud vnquam victum, ſemper viciſſe; nec ipſa

Fama canit ſolum; canit hoc Mars alter Olympo
Terrigenis miſſus, quem rurſus ad aſtra vocatum
(O ſuperi mirum) noſtris rapuiſtis ab oris;
Cui Bellona ferox immitia pectora in hoſtem
Immitem dedit: at ſubiectus mitia ſenſit.
Sic bellante illo Lechus referebat honorem,
Sic hoſtis vincente illo eſt expertus amorem.
Tu demum primo veſtitus flore iuuentę,
Hoſticus in caſtris formam ne polluat enſis,
Virgineos latitans vultus habitumq; gerebas;
Ille puer, paruo mentes in corde viriles
Accipiens, hoſti terrores mille mouebat
Ante diem, didicitq; tener Mauortia gyris
Arma rotare citis, aulæ ſpes maxima noſtræ:
Et iam contingens fauſto ſenioribus annis
Maturam ætatem pede, concitat ardua magnis
Facta gerenda viris, nec cedit donec onuſtus
Egregiis ſpoliis, dextro canat Hercule Vici.
O virtus, vbi pręmia? pręmia numne deeſſe
Virtuti poſſunt? capit hic Ganymedis honores.
Illum, namq; feris fraudes dum ſtruxerat apris,
Regia cæpit auis, pennisq; ſub ætera vexit:
Ille Iouis iuſſu menſis adſtare Deorum
Creditur, ambroſiaq; manus onerare Tonantis;
Hunc, dum terrificos laqueis fallacibus hoſtes
Implicat, in claram ſubitó fauor arripit aulam
Inuicti

In uicti Regis, mensis hic additus, vnde
Fercla ante ora Iouis ponit terrestris edenda.
O Felix DANILOWII cui præmia tanta
Virtus donauit, felix nimiumq; beate
Tanta cui tanto pro stemmate ducitur vxor,
Heroina ducis magni, quæ spirat odorem
Vertice Nectareum, missisq; per ora capillis
Auricomum iubaris iaculatur in aëra fulgur,
Nympharum superans speciē, cui gemmea pulchrū
Forma caput pingit rubros imitata pyropos,
Nunquam tale decus pollex perfecit Apellis
Dalmatico quamuis formam vestiuerit auro
Quale dij pinxêre tuæ per tempora sponsæ,
Fors igitur Nympha est, placidissima nūina Nymphę
Dicite vos, genus, ande vestra gente profectum est?
Si Dea cur illam grati comitantur amores?
Si Dea cur illi numerosi mentio partus?
Scilicet vt Nymphæ tales debentur honores,
Vtque Deæ tantæ, magni debentur amores,
Est Dea Nympha simul, quam viuida Martis imago
ZOLKIEWIVS genuit, quo, bello maior & armis
Ecquis adest hodie? memor hic virtutis Auorum,
Virtutisq; ducis quem cuncta Polonia luget,
Nil nisi permagnum visu, mirabile dictu
Exercet terris, cuius præclara trophæa,
Aut genus, aut nactos crudeli ex hoste triumphos,

Quid memorem? citiùs proles Hyperionis, imos
Vertet ad Antipodas bigis radiantibus axem,
Quàm tot virtutes numerem, tot Martia bella
Non tacitura ducem, totum ast latura per orbem
Laudibus eximiis, celebriq; per æthera famâ,
Dum dextris Atlas gemmatos fulciet orbes.
Cernite jam Superi tantorum facta virorum,
Huc mentes, huc & vultus aduertite vestros,
Non furtũ est Paridis, dederat quod Dardana quondã
Pergama Vulcano; fido sociatur Vlyssi
Aurea Penelope: tantis & adesse triumphis
Numine præsenti renues ô cælica turba?
Sis præsens thalamis, præsentia numina posco,
Noster Hymen hodie vestro decoretur honore,
Hic fauor hic & honor nostro iungatur honori,
AVREA tum verè mittetis secula DIVI.

AD ZOILVM

Zoile vera canit, ſi quis te Zoile dicit
Eſſe canem; at ſi non vis canis eſſe? ſile.